



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roma Sancta sive Benedicti XIII. Pontificis Maximi &
Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E.
Cardinalium Viva Virtutum Imago Æri & literis in
perennaturam Virtutum memoriam incisa**

Conlin, Johann Rudolph

Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXXVI

VD18 10209328

No. XLVI. Philippvs Thomas Bossu De Alsatia Belga.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72633)

No. XLVI.

PHILIPPVS THOMAS BOS-
SU DE ALSATIA
BELGA.

Philippus Thomas Bosſu tit. S. Cæſarei, Cardinalis de Alſatiâ, Archiepiſcopus Mechlinienſis natus eſt Ann. 1680. 12. Nov. ex nobiliſſimâ Belgas inter Boſſuviorum Familiâ, ad quam ille maximum decus & ornamentum aſſerre viſus. Joannes Henninius Comes Boſſuvius ſub Margaritha Parmenſi Belgii Gubernatrice, armis inclytus erat; & quando Valencenatum pars magna Anno 1562. à Sacra Religione deficiebat, Joannes Henninius fidus, impigèrque miles mandatum accipiebat, ut in eam Urbem ſe illi- cò transferret, & turbas pro ſuâ ſapientiâ componeret. Intrabat is Valencenas, & motus ille ſtatim conquieverat. Hinc Boſſuviorum Gens ex ſede ſua Genti- litiâ, Valencenatum urbi proxima, tunc equidem ſalutem clariffimæ Flandro- rum Urbi aſſerebat. Maximilianus Boſſuvius, Torquatus aurei Velleris E- ques, bellicâ non minùs laude inclaroſcebat: Eum Philippus II. Anno 1559. equeſtri nobilium turmæ præſciebat, ex earum videlicet numero, quarum in bellis Virtus tantùm invaluerat, ut celebres per Europam exinde canerentur Belgarum turmæ. Hic Valencenam Anno 1567. ſecundò rebellem tantâ vi ag- grediebatur, ut intra quatuor horas, tormentis perpetuò in urbem detonanti- bus, munimenta dejiceret: quò territi principio cives, ſe urbemque Victoris Clementiæ ſubjiciebant; ſic ſecundò ſalus à Boſſuviis Valencenatibus reddita. Anno 1569. Annam Maximiliani Imperatoris filiam, Philippo II. Hiſpaniarum Regi deſponſam, in Hiſpaniam Boſſuvius deducebat, quo charo pignore allato, regem ſibi arctiùs obſtringebat. Poſtea Boſſuvius, Hollandiæ, Zelandiæque & maritimæ Belgarum oræ præfeſtus, adverſus Batavos multa feliciter geſſit; ſed fortuna magnis invida viris, Anno 1573. denique effecerat, ut proelio nava- li cum Batavis comiſſo, vir ſummus caperetur; & hoc veluti arce rerum occu- patâ, victoria penes hoſtes ſtabat. Quanta Boſſuvii Virtus in eo prælio fuerit, ſatis inde conſtare poteſt, quod navis ejus prætoria (inquiſitionem Hiſpanicam vocitabant Hollandi) à ceterâ claſſe deſtituta, octo & viginti horarum ſpatio contra viginti hoſtium navigia tam ſtrenuè depugnaverit, ut non ante in ho- ſtium poteſtatem venerit, quàm è trecentis claſſariis non plures quàm octo- ginta, iſque præter quindecim ſaucii omnes, ſuperfuerint. Tunc demum ul- timæ Virtutis exemplo edito, vela ſubmittebat. Eo ipſo tempore ad Hagam Comitum ab Hiſpanis Philippus Marnixius Aldegundius, primariæ apud fœde- ratos exiſtimationis & loci capiebatur, aded ut polliceretur Orangius, quæ au- diret, Aldegundo fieri ab Hiſpanis, paria ſe Boſſuvio relaturum. Sed poſtea res contigit, quæ ſatis edocuit, etiam ſplendida orbis ſydera exorbitare poſſe; nam Boſſuvius deſperatâ redemptione, quam hoſtes callidè immenſi pretii fe- cerant, ut facerent nullam, temporum cæſtro abreptus, Orangi caſtra ſequeba- tur; nec tamen ei unquam ex integro adhæreſcere viſus eſt, & facilè callidio- ribus apparebat, eum profeſſione Orangianum, animo Hiſpanum eſſe: Religio- ni

ni Catholicæ unice addictus, illas partes sibi deferendas judicabat, quæ in fœdere Gandavensi Anno 1576. inviolatum avitæ Religionis cultum statuissent, & jam toto cœlo, promiscuis religionibus admixtis, à suis promissionibus discederent. Adhæc Orangii dominatum abominabatur, facilitate Belgarum adversus Principem suum abutentis. Hinc de reditu cogitabat; sed cum in hoc Pio consilio versaretur, morbo correptus, & paulò post, ut multi suspicabantur, veneno à Batavis, tantùm Virum Hispanis partibus invidentibus, enecabatur. Rem dictu atrocem Bernardinus Mendoza Hispani Regis in Angliâ Legatus, in suis ad Alexandrum Farnesium 1579. 26. Februarii datis literis disertè affirmabat, ipsum etiam authorem nominando, cujus autoritas rumorem suppressit. Certè Eques Rimaldus in suis commentariis Scriptum reliquit, Bossuvium morti proximum Orangius cum inviseret, quumque superveniente sacerdote, cœleste viaticum impertituro, contemptim percunctaretur, quid cœremoniarum illud esset, Bossuvium importunam hominis vocem averfatum non abstinuisse, quin amissam pariter rem, decus, vitam ei palam exprobraret, adjiciens, se certè animam, quæ sola superesset, à quoquam sibi eripi non passurum. Sic mortuus est Catholicissimus Vir ille inclytus, calamitosorum magis temporum, quam suo errore in transversum actus. Ejus successores Catholicæ rei addictissimi fortunas, sanguinem, vitam pro Regibus Hispanis sæpe numero exposuerunt, meriti, ut Chimaci Principatus & Comitatus Bellomontii in Hannonia jure sanguinis ad eos devolverentur; nam Philippus Ludovicus Henninius Comes Bossuvius, Eminentissimi Purpurati Thomæ Philippi de Bossu illustrissimus Avus uxorem duxerat Annam Alexandri Chimacensis Principis, & Magdalenæ Comitissæ Egmontiæ filiam; hinc Ernesto Dominico Duce Arembergio ac Principe Chimacensi Anno 1686. in regno Navarræ, cui Proregis potestate præerat, sine liberis decedente, Carolus Ludovicus Antonius Henninius Comes Bossuvius, Eminentissimi Purpurati Germanus Frater, in dictum principatum Chimacensem, Avix suæ Gentilitiam sedem, succedebat; Sed longè magis Illustrissima hæc Familia nobilitatam se sensit, cum in Eminentissimo nostro Purpurato Thomâ Philippo Bossuvio d' Alsace novum Ecclesiæ sydus daret. Is egregium Patrem Philippum, torquatum aurei Velleris equitem nactus, sub ejus disciplina Magnus evaserat. Cum ad Sacram militiam aspiraret, insigniter doctum, dignitatibus Ecclesiasticis sua merita admovebant, Primò omnium Præpositus in Basilicâ S. Bavonis in Urbe Gandavensi factus, eum Gandavi titularem Divum, eximiis Virtutibus imitabatur. Divus Bavo sub exitum Sæculi VI. in Brabantia nascebatur, sæcularis diu homo, donec à Divo Amando Episcopo Wormatiensi, eodémque Belgarum Apostolo meliora edoctus, sanctitatis apicem attingeret. Ejus celebris memoria Gandavi est; Harlemenses etiam tutelarem Urbis suæ Divum eximio cultu aliquando prosequiebantur. Sed quàm dispar modò par Sororum! Gandavum totius Belgii Urbs longè maxima (quippe quæ cum suis fossis septem milliaria belgica in circuitu continet) Orthodoxæ Religionis cultu, ejectis Anno 1584. ministris Calvinisticis, & eorum loco Catholicis sacerdotibus & religiosis familiis in urbem reductis, hodie dum ut plurimum floret. Contrà Harlemum urbs inclyta, Post Amstelodamum Bataviæ Princeps, cujus in obsidione Ptolemaidis (Damiatam vocant) Anno 1248. tanta virtus erat, ut primas referre visa fuerit; cum novo artificii genere navem, validissima è ferro ferrâ præpilatam misisset, quâ ferreæ catenæ, portus clastro obstructæ, ceu tenue filum disrumpebantur; urbs inquam illa splendida, potens, Religiosa suo splendore ut plurimum decidit, quando cum Tutelari suo Bavone sacram religionem excussit. Antequam Cardinalis Bullonius, adversa omnia expertus in Galliâ, Romam iret, sacri Col-

legii Cardinalis Decanus futurus, Thomam Philippum Bossuivium Gandavensem præpositum præmittebat, qui suam ad Romanam Aulam adventum Sanctissimo Patri significaret; jam ex tunc suâ se sapientiâ Romanis Bossuivius commendabat, nec pœnitendum iter fecerat, cùm sui indesituram memoriam abiens relinqueret. Tunc quidem Sanctissimus Pater eum Honorarium à cubiculo ministrum dicebat. Nec minùs in Belgio sumâ eum dignitates expectabant; nam non modò à Carolo III. rerum sumâ per Belgium potito, sacratori Senatui adlegebatur; verùm etiam Anno 1714. Mechliniensis Archiepiscopus ob eximiam probi antistitis, laudem, quâ in Belgii oculis mirificè coruscabatur, denominabatur. Is Archiepiscopatus à Philippo II. Hispaniæ Rege autoritate Pontificis Pauli IV. Anno 1559. erigebatur. Primus loci Archiepiscopus erat Antonius Perenottus Granvellanus, ab ingenio, literisque, quas in plerisque Europæ Academiis cum plausu didicerat, instructissimus: ea erat ingenii celeritate, ut interdum quinque semel amanuenses, & quidem variis linguis (nam callebat omnino septem) defatigaret: Annos quatuor & viginti nec plus natus, in Concilio Tridentino pro Carolo V. Imperatore, cum stupore audientium, & senilem in juvene sapientiam admirantium, perorabat. Hic itaque talis tantisque Vir, quem Belgii annales admirantur, primus omnium Sacram Purpuram Mechliniensi Metropolitanæ sedi intulit; & postquam centum supra sexaginta anni ab ejus creatione, quæ contigit Anno 1561. interfluxère, Excelsa Virtus ad idem fastigium Thomam Philippum Bossuivium d' Alface vocabat. Quæ Causa Tanto Viro Purpuram conciliârit, malim ex Pontificio Oraculo, quàm ex me intelligatur; planè prorsus insigne elogium erat, quò virum Virtuosissimum Clemens XI. in consistorio secreto Anno 1719. 19. Novembris habito, cùm eum Cardinalem diceret, exornabat: verba se ita habebant. Creare intendimus

Thomam Philippum de Alsatia de Bossu Archiepiscopum Mechliniensem. Pergebat. Plura hic referre possemus de hujus illustris Præfulis eximia vigilantia, quam, ubi primum ad suæ Ecclesiæ Regimen adnotus fuit, adhibuit semper & adhuc constantissimè exhibet, ut omnes Catholici Belgii Christi fideles, præferim verò commissa sibi oves, quæ ut conragii locis, ita & periculis propinquiores sunt, à venenatis pravæ doctrinarum pascuis sedulo arceantur. Sed Unum duntaxat dicere sufficiat; quod nimirum ipse ex cunctis Catholice Ecclesiæ Episcopis primus fuit, qui Constitutioni nostræ, quæ incipit PASTORALIS, humiliter obsequens, nostroque inherens exemplo, eos omnes, qui aliam nostram Constitutionem, quæ incipit UNIGENITUS, debita submissione suscipere recusarunt, aut in posterum recusassent, ut veros Sacræ Romanæ Ecclesiæ Filios se minimè agnoscere, disertissime declaraverit, sibi que cum illis nullam deinceps communionem Ecclesiasticam exituram palam pronuntiaverit, donec integrè respicerent, rejectaque penitus audaciâ refragandi, per veræ obedientiæ exhibitionem, pristina charitati & unitati ad hæc sancta sede restitui mereantur.

Cum Purpureo Capitis tegmine Oliverius statim Româ aderat, quòd in Principe ejus Urbis Ecclesiâ (sede videlicet sua) Belgii Proceribus & Præfaturæ Mechliniensis Dynastis, & Populo numerosissimo undequaque affluentibus, summo omnium plausu sacro ejus Vertici imponebatur. Postea Sanctissimi Patris per Belgium Nuntius Santinus Presbyter ab eo ordinari avebat. Bossuivius ipse quadriennio ante à Pontificio Nuntio Georgio Spinolâ (nunc Eminentissimo Sac. Rom. Ecclesiæ Cardinali, assistentibus unâ Ladislao Erdödo & Colonitzio, hoc Vacienti, illo Nitriensi Episcopo, in Presbyterorum Ordinem veniebat. Nam Zelosissimus, si quis alius, Princeps Purpuratus, rem in

Myrrato Antistite longè pulcherrimam credebat, si quam quis Ecclesiam regendam suscepisset, eidem etiam usque ad Aras, Sacerdos

Magnus futurus, quotidie deferviret.